



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnim Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXXV. Ioannis Papae VIII. Ad Consiliarios Michaelis Regis
Bvlgarorum. Eiusdem argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

disciplinis, atque dogmatibus confunduntur? Sed quæso, fili carissime, ad sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ simum, quæ caput est, instituente Deo, omnium ecclesiarum in toto orbe diffusarum, relictis superfluitatibus, & seductionum scandalis, vos gentemque vestram amore mentis, sine mora reducite. Quia in tantum vos affectione paterna diligimus, ut in visceribus Christi Iesu esse cupiamus. Et ecce parati sumus, ut vos lucrifaciamus, & quidquid legatorum nostrorum offuscatione nuper offensum est, ad purum corrigere, & omnia maturissime redintegrando curare, & si contigerit non solum compati, & condolere vobiscum, sed etiam pro salute animarum vestrum mori non recusabimus, dicente Ioanne apostolo : *Quoniam Deus pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* 1. Ioan. 3. Vestra tamen dilectioni conuenit monitis paternis benigno amore semper præbere assensum, & admonitionibus nostris accommodare auditum: quia ille, cui a Domino claves regni cælorum ligandi, atque soluendi collatae sunt, quotidie & indesinenter expandit brachia, & vos reuertentes ad se gratulanter expletat; quatenus vos æterno pastori reddat compotes æternæ beatitudinis, a quo accepit ministerio sui apostolatus animas vestras redimere. Data ut supra.

E P I S T O L A C L X X V .

I O A N N I S P A P A E V I I I .

AD C O N S I L I A R I O S M I C H A E L I S

R E G I S B U L G A R O R V M .

Eiusdem argumenti.

Petro, Cerbulæ, & Sundicæ, ceterisque optimatibus, & consiliariis dilecti filii nostri Michaelis regis Bulgarorum.

DE NI Q U E moneo vestram omnium dilectionem, ut continuis adhortationibus, atque suggestionibus dilecto filio nostro Michaeli gloriose regi seniori vestro annuntietis, vosque cum eo ad sinum sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ vos æternæ beatitudinis cupit esse participes, redeat, ac redeatis; ne diutius quorundam peruersi dogmatis sua-
fionibus perniciem, ac detrimentum, quod absit, animæ ve-
stræ patiamini. quoniam nos in tantum amorem super vos
Concil. Tom. 24.

A a ij

ducimur, ut quidquid iuste, & secundum Deum petieritis, a nobis impetrare valeatis, vestrisque petitionibus irrefragabilius velimus effe&ctum annuere. Hoc iterum iterumque monemus, & in verbo Christi edicimus, ut redire ad nos omnino festinetis; quia, sicut nos peccare timemus si vos ad finum sanctæ matris vestræ non reducimus, ita vos in Deum peccabis si nostram vocem audire omittatis. Data ut supra.

EPISTOLA CLXXVI.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD SEDESCLAVVM COMITEM.

Præcipit, vt legato, quem ad regem Bulgarorum mittit, iter tutum præbeat, ac necessaria suppeditet.

Dilecto filio Sedesclauo gloriofo comiti† Sclauorum.

† De Sclauis, historia
Miscellanea
lib. 17. in
Mauricio
l. 19. & 23.
Aimoinus
lib. 4. c. 26.
& 81. Ce-
drenus in
Mauricio,
Nicepho-
rus l. 18. cap.
28.
QVIA fama tuæ dilectionis, atque bonitatis, & religiositatis in Deum ad nos usque peruenit, confidenter gloriam tuæ præcipimus, atque mandamus, ut pro amore sanctorum apostolorum Petri ac Pauli protectorum vestrorum, præsentem legatum, quem ad gentem Bulgarorum dirigimus, saluum atque incolumem venire faciatis usque ad dilectum filium nostrum Michaelem glriosum regem eorum; & quæcumque ei sunt necessaria ad vietum & vestimentum, illi pro Dei amore administrate, quia Dominus dicit in euangelio: *Quamdiu fecisti uni de minoribus istis, mibi fecisti: & apostolus: Hospitales in inuicem sine murmuratione. Quia per hanc latuerunt quidam angelis hospitio susceptis.* Agat, fili carissime, de hoc tua dilectio, ut æternæ vitæ præmia percipere valeat. Data ut supra.

EPISTOLA CLXXVII.
IOANNIS PAPÆ VIII.

Excommunicat Anspertum, quia ad Synodum vocatus venire contempserat.

ANSPERTVM Mediolanensem archiepiscopum quem Papiæ existentes, & postmodum ad Synodum Romæ pro multis ecclesiarum Dei necessitatibus collectam vocauimus, nec per se occurrere, nec excusationem suam